

**Badische Landesbibliothek Karlsruhe**

**Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe**

**Historiae ecclesiasticae saeculi ... XVI supplementum**

**Fecht, Johann**

**Francofurti et Spirae, 1684**

**VD17 VD17 3:315948Z**

CXXI.

[urn:nbn:de:bsz:31-122751](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-122751)

occasionem & *αἰετοειδῶς* speciosam præbent Sacramentariorum tumultus seditiosi: Quos arcem suæ doctrinæ in media Germania jam collocasse, & Anularum ac eruditissimorum ac sapientum plerorumque in Academiis etiam, applausum non obscuros habere, doleo. Ecclesiæ in hoc Balthico litore Dei beneficio adhuc in deposito doctrinæ Lutheri concordēs & constantes & cum vestra Ecclesiæ animo & sententiis conjunctissimæ sunt. Te oro, ut paternam erga me benevolentiam, infelici successu consilii de migratione ad vos mea, imminui non patiare. Mea studia & officia, cum omni observantia & grata prædicatione, vicissim tibi perpetuò constabunt. Bene & scèliciter vale. Rostochii, 13. Aprilis, Anno 1567.

David Chytræus.



CXXI.

*Salutem in Christo Jesu.*

CONstitueram Argentoratum accedere, sicut ex clarissimo viro, D. Erythronio intellexisti. Sed fieri cum non potuerit, dabis mihi hoc tempore veniam. Certas enim ob causas mihi festinandum est, ut domum redeam. Ecclesia Hagenoensis privata est duabus columnis, D. D. Cornelio & D. Melchiore à Sesselsheim. Et adversarii vigilant, ut quod impedire non possunt, saltem turbent. Idemque nobis orandum est, & diligenter faciendum officium. Habent priores commemorati patroni Ecclesiæ in Domino defuncti successores pios & fideles, qui strenue officium suum sunt facturi. Ecclesiam ego inveni frequentissimam, quæ cottidie augetur. Et quum superaverint aliquos insultus diaboli, spero esse etiam constanter perseveraturos in semel suscepta confessione doctrinæ veritatis, pro quibus tu etiam orabis. Proxime quum reversus fuero, Domino volente, apud vos transibo. Editionem libri tui D. Brentius & ego avide expectamus, metuimus, ne fortè impedita esset. Optimo loco sunt res nostræ, quia Sathan furit & mundus murrat, Deus autem in cælis eos irridebit. D. Brentius & ego universum collegium vestrum & te imprimis eum D. Sturmio reverenter salutant. Orate etiam pro me misero peccatore. Bene & scèliciter valete. Hagenoæ VI. Non. Maji 1567.

*T. ex animo*

Jacobus Andræ, D.  
ut semper.

CXXII.